

Dives in usuris curas studet addere curis:
 Congregat — et nescit — alienis; vix requiescit;
 Inmensas fugit expensas; quod in horrea ponit,
 Heres exponit auctoris et eius amoris
 835 Oblitus; fruges penitus consumere natus
 Indomitus spargit redditus, vastare paratus.

Mens oblita deum patrem sibi sufficientem
 Que non sufficiunt querere vana studet.
 Dives crudelis res cuiuscumque fidelis
 840 Nequiter acquirit; pro paucis multa requirit;
 Estuat ad questum faciendo dolum manifestum.
 Lucrum congestum non mitigat¹ illius estum.
 Nummos enumerat lucrumque dari sibi sperat;
 Mulcet debentem locupletem, torquet egentem.
 845 Deceptor verbum mollit, cor celat acerbum.
 Dulcis credendo furit improbus in repetendo;
 Pacta facit stricta, seducit per sua dicta
 Creditor usuras exercendo nocituras.
 Quem dolus execat malus, omni tempore peccat.
 850 In tenebris pannos, qui consenuere per annos,
 Venditor ostendit ac ad tempus breve vendit.
 Plus quam deberet, lucris mens eius adheret:
 In multis rebus, in pluribus et speciebus
 Fallit in obscuris spreto moderamine iuris.
 855 Tamquam predones per falsas venditiones
 Nunc mercatores vendunt nimio precio res:
 Verbo detractant² usuram mentemque retractant,
 Cum sit in omne genus iam detestabile fenus,
 In fenus latrant peioraque fenore patrant;
 860 Crimina maiora faciunt vitando minora.
 Inter vendentes fraudes regnant et ementes;
 Iuris contractus vertunt³ in criminis actus:
 Principio blandi pro spe nummos numerandi
 Fraude ligant stultos, ponunt in retia multos;
 865 Cartas conficiunt — dolus et simulatio⁴ fiunt —
 Fratres decipiunt, sepe nocere sciunt.
 Carte scribuntur, mendaces efficiuntur;
 Fraus perpetratur; petitur, quod non numeratur;
 Carte delende retinentur non retinende⁵;
 870 Qui persolvuntur iterum nummi repetuntur;

1) 'mittigat' Hs. 2) 'detractrant' Hs. 3) 'vertunt' auf Rasur, aber von gleicher Hand. 4) Die Silbe 'sim-' auf Rasur von gleicher Hand. 5) '-ende' auf Rasur von gleicher Hand.